



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **RECENTISSIMA LICET** PAROECIALE TEMPLUM DOMINAE NOSTRAE GUADALUPENSIS AC SANCTI PHILIPPI MARTYRIS, ROMAE IN VIA AURELIA EXSTANTIS,
AD GRADUM DIGNITATEMQUE BASILICAES MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Recentissima licet
hac ipsa aetate conditum templum esset Dominae Nostrae Guadalupensis ac Sancti Philippi Martyris sacrum in Aurelia
Romae Via ibidemque licet paroeciale triginta dumtaxat annos institutum exstitisset, tanto tamen vitae christianaee
liturgiaeque publicae flore idem locus eminebat et tanto pariter elucebat actionis catholicae aptaeque catechesis studio,
operam illic Legionariis Christi potissimum dantibus, ut Vicarius Generalis Noster pro Alma Urbe, Hugo S.R.E. Cardinalis
Poletti, nihil nuper dubitaverit preces suas una cum totius eiusdem communitatis votis Congregationi de Cultu Divino et
Disciplina Sacramentorum admovere ut memorata aedes sacra perhonorifico augeretur Basilicae Minoris titulo, quoniam
hoc unum dignitatis laudisque liturgicae nomen tam bene merenti paroeciae deesse videretur. Neque Nos ipsi aliter,
inspectis rei rationibus meritisque loci expensis, censemus fieri posse ac debere quam adeo praestantes huius petitionis
auctores. Quapropter, iis singulis confirmatis ac corroboratis quae hac iam in re Congregatio de Cultu Divino et Disciplina
Sacramentorum facultatibus videlicet a Nobis usi tributis constituit pro apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine
paroeciale templum Dominae Nostrae Guadalupensis ac Sancti Philippi Martyris in honorem Deo dicatum ad gradum
evehimus libentesque ad statum attollimus Basilicae Minoris, eadem concedentes opera omne illud ius et privilegium
liturgicum talium proprium aedium quod vigentes normae huc spectantes permittunt et secundum ea omnia quae
Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX Novembris anno MCMLXXXIX foras datum servanda recenset, contrariis
quibuslibet haud impedientibus rebus. Fore quidem certo interea confidimus ut hac Ecclesiae Matris aestimatione, hac
Nostra benevolentia, maiore hoc decore incitata iam inflammataque posterum in tempus paroecia Dominae Nostrae
Guadalupensis ac Sancti Philippi Martyris pro Christo Domino et omni Dei Populo operari salutariter perget et
admirabiliter prosperari. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV mensis Ianuarii, anno
MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.* ANGELUS SODANO, archiep.
Prosecretarius Status © Copyright 1991 - Libreria Editrice Vaticana